



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

V. Admonet deinde Childebertum Pelagius honorandum esse Sapaudum propter apostolicam vicem. Episcopi tam contendebant Vicarios apostolicæ sedis subjacere debere iudicio suorum collegarum, su quid ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Episcopi tum contendebant Vicarios apostolica sedis subjacere debere iudicio suorum collegarum, si quid peccarent. Explicatur epistola Pelagij. Eius auctoritate ostenditur vicariatum Arelatensem fuisse perpetuum.

¶ I. Sapaudus successit Licerius; quem vicibus etiam apostolica sedis & Pallio ornatum fuisse colligitur ex more tum recepto & ex epistola sancti Gregorij de vicariatu Virgilij, qui proximè successit Licerio.

I. **A**VXANI O itaque Arelatensi Episcopo cum successisset Aurelianus, magnæ nobilitatis vir, ut vulgò existimant, antiquæ consuetudini & Childeberti Regis precibus datum à Vigilio est ut is quoque Romani Pontificis Vicarius esset intra Gallias. Vetustam consuetudinem memoravi, tamenetsi hanc auctoritatem Vigilius non repetat disertis verbis à veteri more; quia video illum omnino secutum esse vestigia decessorum suorum, eadèmq; Aureliano mandata dedisse quæ superioribus Episcopis Arelatensibus data fuerant jam inde à temporibus Zozimi. Præterea Vigilius, cum auctoritate illum sua ornasset, præscripto iudiciorum ordine, hæc addit: *Quia ita decessores vestros, qui decessorum nostrorum vices egisse monstrantur, fecisse testimonium nostri declarat scripserim.* Non immorabor in explicandis mandatis Aureliano datis, cum satis in hanc rem incubuerim in superioribus capitibus. Illud tantum dicam, generalem ad Gallicanos Episcopos epistolam secundum morem dedisse Vigilium, ut eos certiores faceret conlatum à se Aureliano fuisse vicariatum sedis apostolicæ.

II. Post aliquot exinde annos, cum videret Aurelianus sinistram de Vigilio famam in Occidente spargi in causa Trium Capitulorum, ac si Vigilius contraria Chalcedonensi Concilio tradidisset, legationem ad eum misit, significans ei qui tum rumores de illo essent, addens nihilominus haud dubiè non dubitare se quin falsi essent, respectam sibi esse fidem & prudentiam Virgilij, nihil facturum quo suam famam dehonestaret. Intellexit vir prudens quò tenderet istorum verborum sensus. Itaque scripta confestim epistola ad Aurelianum, primùm fidem suam singillatim explicuit, deinde illum admonuit ut hanc fidei suæ professionem in omnium Gallicanorum Episcoporum notitiam deduceret; *ut nullis, inquit, aut falsis scriptis, aut mendacibus verbis, aut nuntiis, qualibet ratione turbentur.* Evincunt autem illa sollicitudinem Ecclesiarum Gallicanarum fuisse tum penes Episcopum Arelatensem tanquam Vicarium sedis apostolicæ. Istius porro legationis, quæ per Anastasium missa est, mentio extat in epistola à Clericis Italiae di-

Virgil. epist. 7.

recta ad Legatos Francorum qui Constanti-nopolim proficiscebantur.

III. Aureliano successit Sapaudus anno quingentesimo quinquagesimo sexto. Statim verò Pelagius Pontifex Romanus istius nominis primus eum vicibus apostolicæ sedis ornavit secundum morem; ut constat ex illius epistola ad Sapaudum, in qua sic legitur: *Majorum nostrorum, operante Dei misericordia, cupientes inherere vestigiis, & illorum actus divino iuramine in omnibus imitari, caritati tue per universam Galliam sanctæ sedis apostolicæ, cui divina gratia præsidemus, vices iungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc Ecclesie Romanæ testantur scriptura, à sanctis patribus & decessoribus nostris tuis decessoribus esse concessum.* Et infra: *Vere igitur, carissime frater, auctoritate Pontificis & pastoris mansuetudine, per nos tibi locum Vicarij apostolicæ sedis divine gratia largitate concessum.* Tum ulum ei Pallij concedit, & privilegium formatarum confirmat.

IV. Porro licet Pelagius in hoc secutus sit antiquum morem, petitionisque Childeberti mentionem non faciat in epistola ad Sapaudum, ex epistola tamen ab eo scripta ad eundem Childebertum patet datum id etiam precibus ejus. *Vices autem nostras, inquit, præfato consacerdoti nostro Sapaudus secundum petitionem vestram direximus, usum Pallij pariter concedentes; quia in scriptis ecclesiastico huiusmodi exempla reperimus, quibus ostenditur Arelatensibus Episcopis à sancta recordationis decessoribus nostris hæc fuisse conlata.* Non meminit autem consensus Imperatoris pro concessione Pallij.

V. Admonet deinde Childebertum Pelagius honorandum esse Sapaudum propter apostolicam vicem, omninòque procurare eum debere ne is quem per vices apostolicas augeri postulaverat, *in aliqua parte cuiquam Gallicanorum sacerdotum vel cuiuslibet ordinis ecclesiastici personæ contemptibilis habeatur.* Quippe tum descenderat aliquatenus dignitas Vicariorum sedis apostolicæ, ut observatum est superius, ac nihilo minùs Episcopi contendebant Vicarios illos, si peccarent, iudicandos esse ab Episcopis suarum provinciarum. Hinc factum ut cum non ita multò post Sapaudus criminis cuiusdam suspectus esset habitus, in iudicium vocatus sit à suffraganeis suis secundum canones. Cum verò nollet se sistere iudicio, Childebertus Rex eum compulit eam necessitatem subire. Quæ de re graviter apud illum exposulavit Pelagius his verbis: *Passi estis subripi vobis, & Sapaudum fratrem & coepiscopum nostrum Arelatensis civitatis antistitem, cuius Ecclesia in regionibus Gallicanis primatus privilegio & si-*

dis apostolica vicibus decoratur, ad petitionem Episcopi ab ipso ordinati in iudicium sequentis civitatis Episcopi, quod nulla ecclesiastica lege vel ratione conceditur, iudicandum juberetis occurrere. Ex hoc interim loco discimus falli eos qui vices apostolicas Arelatenſi Eccleſiæ affixas non fuiſſe contendunt, ſed perſonis tantum datas. Nam cum Pelagius doceat Eccleſiam Arelatenſem vicibus apoſtolicæ ſedis decoratam eſſe, planum eſt ex his quæ dicta ſunt in capite xxii. privilegium illud perpetuum fuiſſe & ad omnes ex æquo Arelatenſes Episcopos pertinuiſſe; ita tamen ut renovatione interdum indigeret, non ſecus ac Theſſalonicensis Eccleſiæ privilegium.

VI. Mortuus eſt Sapaudus anno quingentefimo octuageſimo nono, cui ſtatim ſucceſſit Licerius Regis Guntchramni Referendarius, ut Gregorius Turonenſis tradit in libro viii. hiſt. Francor. cap. xxxix. Hunc non invenio functum fuiſſe vicibus apoſtolicæ ſedis. Attamen ex epiftola Gregorij Magni ad Virgilium, de qua agemus in capite ſequenti, colligi poteſt Licerium quoque Vicarium ſedis apoſtolicæ egiſſe intra Gallias. Vices enim ſuas & uſum Pallij concedens Virgilio, cuncta revocat ad antiquum morem; tum hunc honorem debitum eſſe ait Episcopo Eccleſiæ Arelatenſis, & nihil de debito honore ſubtrahendum illi eſſe. Quod evincit rurfum vices apoſtolicæ ſedis loco tributas fuiſſe, non perſonis tantum, adeoque Licerium vicibus apoſtolicæ ſedis & Pallio fuiſſe decoratum. Moriens autem Licerius ſucceſſorem habuit Virgilium; ut narratidem Gregorius Turonenſis lib. ix. cap. xxiii.

C A P V T XXXIX.

Synopſis.

I. Virgilius Arelatenſis Episcopus petit à ſancto Gregorio vices apoſtolicæ ſedis & Pallium juxta antiquam conſuetudinem. Non repugnavit Gregorius.

II. Debitum fuiſſe hunc honorem Eccleſiæ Arelatenſi colligitur ex verbis ſancti Gregorij.

III. In epiftola generali ad Episcopos Gallicanos Gregorius renovat auctoritatem quam prædeceſſores ejus tribuerant Episcopis Arelatenſibus.

IV. Vices ſuas & Pallium Virgilio concedens Gregorius, vult tamen ſua ſingulis Metropolitanis jura ſervari. Explicatur locus ille ſancti Gregorij, qui non eſt ſimpliciter intelligendus.

V. Modum deinde præſcribit utendi Pallio, ut irret obviam ambitioni Virgilij, ne is Pallio illo cen quadam indumento quotidiano uteretur. Habuit poſterioribus temporibus hoc privilegium Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis. Sed ipſe eo privilegio non utebatur.

VI. Gregorius præſcribens ordinem iudiciorum, decernit duodecim iudices in qualibet cauſa debere eſſe.

Pelagius Papa decreverat eam eſſe certam provinciam quæ decem vel undecim Episcopos iudices habeat ſub uno Metropolitanano. Quod etiam obſervatum eſt ab Urbano ſecundo.

VII. Gregorius in Angliam mittens Auguſtinum, cum Virgilio commendavit, cum per Arelatem tranſiurus eſet. Virgilium vocat Metropolitanum Galliarum. Pallium Arelatenſibus Episcopis tributum antiquius.

VIII. Vices apoſtolicæ ſedis conceſſas olim fuiſſe Eccleſiæ Arelatenſi probatur auctoritate Gregorij ſeptimi. Deſit autem ea auctoritas poſt Gregorium Magnum.

I. **C**ONSTITUTUS in Arelatenſi ſede Virgilius, vir magnarum virtutum & magnorum meritorum, nihil prius aut antiquius habuit quam ut dignitatem Eccleſiæ ſuæ collatam conſervaret. Sedebat tum in cathedra Romana Gregorius cognomento Magnus, vir ut ſanctiſſimus, ita doctiſſimus, peritiſſimus juriſum ſedis apoſtolicæ, ac politiæ eccleſiaſticae callentiſſimus. Ad hunc ergo Virgilius, ſuffragatione uſus Regis Childeberti, literas ſcripſit, petens ut juxta antiquum morem ſibi tribueret vices apoſtolicæ ſedis & Pallium. Non repugnavit Gregorius; ſed miſſa ad eum epiftola per Ioannem Presbyterum & Savinum Diaconum Eccleſiæ Arelatenſis, ut eſt in veteri codice MS. Bibliothecæ regiæ, cuncta primùm conceſſit quæ poſtulata ab eo erant, deinde illum aliquot præceptis inſtruxit circa negotia quædam magni momenti, mandataque dedit ſimilia his quæ deceſſoribus Virgilij data fuerant à ſuperioribus Pontificibus Romanis. *Quod verò in eis* S. Gregor. lib. 4. cap. 50. *juxta antiquum morem, inquit, uſum Pallij ac vices ſedis apoſtolicæ poſtulavi, abſit ne aut tranſitorie poteſtatis culmen aut exterioris cultus ornamentum in vicibus noſtris ac Pallio quaſiſſe te ſuſpicer. Et paulò poſt: Libente ergo animo poſtulata concedimus; ne aut vobis quicquam de debito honore ſubtrahere aut præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti Regis petitionem contempſiſſe videamur.* Acta hæc anno quingentefimo nonageſimo quinto.

II. Gregorius itaque vices ſuas & Pallium conceſſit Virgilio, non ad preces Childeberti ſimpliciter, neque ut perſonam Virgilij honoraret; ſed quia id vetus conſuetudo poſcebat, quæ in plerisque vim legis obtinēt. Debitum namque Virgilio fuiſſe hunc honorem non obſcurè ſignificat: quia nimirum Eccleſiæ Arelatenſi ſic tributum erat illud privilegium ut ad omnes ſucceſſores pertineret, ita tamen ut confirmatio privilegij petenda eſſet à Romano Pontifice quoties novus Arelatenſi cathedræ datus erat antiſtes. Nam & conſuetudinem illam rurfum urget ſanctus Gregorius in epiftola ad